

qui manet in dilectione, in Deo manet, et Deus in illo manet. Cum Deo manere non possunt, qui esse in ecclesia Dei unanimes noluerunt. Ardeant licet flammis et ignibus traditi, vel objecti bestiis animas suas ponant; non erit illa fidei corona, sed poena perfidiae, nec religiosae virtutis exitus gloriosus, sed desperationis interitus. Occidi talis potest, coronari non potest.

XII. Sic se Christianum esse profiteretur quomodo et Christum diabolus saepe mentitur, ipso Domino praemonente et dicente: Multi venient in nomine meo dicentes: ego sum Christus, et multos fallent. Sicut ille Christus non est, quamvis fallat in nomine illius: ita nec christianus videri potest, qui non permanet in evangelii ejus et fidei veritate. Nam et prophetare, et daemonia excludere, et virtutes magnas in terris facere, sublimis utique et admirabilis res est; non tamen regnum coeleste consequitur, quisquis in his omnibus invenitur, nisi recti et justi itineris observatione gradiatur. Denuntiat Dominus et dicit: Multi mihi dicent in illo die: Domine, Domine, nonne in tuo nomine prophetavimus? et in tuo nomine daemonia exclusimus? et in nomine tuo virtutes magnas fecimus? Et tunc dicam illis: Nunquam vos cognovi, recedite a me, qui operamini iniquitatem. Justitia opus est, ut promererit quis possit Deum judicem. Praeceptis ejus, et monitis obtemperandum est, ut accipiant merita nostra mercedem. Dominus in evangelio cum spei et fidei nostrae viam compendio brevante dirigeret: Dominus Deus tuus, inquit, unus est: et diliges Dominum Deum tuum de toto corde tuo, et de tota anima tua, et de tota virtute tua. Hoc est primum mandatum: et secundum simile huic: Diliges proximum tuum tanquam te. In his duobus praeceptis tota lex pendet et prophetae. Unitatem simul et dilectionem magisterio suo docuit: prophetas omnes et legem praeceptis duabus inclusit. Quam vero unitatem servat, quam dilectionem custodit, aut cogitat, qui discordiae furore vesanus